Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2575
Quelle:
Copyright:

sacro concilio spiritus sancti gratia cooperante vnione &c. et memorantur in *Diario* Concilii apud *Herm. v. d. Hardt*, non tamen referuntur. Datae sunt: *Constan. Anno Domini M°. CCCC°. XVII. X. Indictione. die uero IX. mensſ. Iulij.* &c. firmataeque nominibus Principum, Officialium Aulae et Magistratus Civitatis, ut videre est in *Cochlaei Hist. Hussit.* L. IV. p. 170. II. *Copia Literarum transmissarum per papam Jo. et Regem Romanorum per mundum pro Concilio celebrando.* Solius *Sigismundi* sunt, hoc initio: *Qualiter Reuerendissimi in christo patres et domini* &c. et extant apud *Bzovium* ad an. 1413. et *Herm. v. d. Hardt.* T. VI. p. 5. III. Ejusdem *Sigismundi* Literae ad *Gregorium* XII. et *Petrum de Luna*, quibus ad Concilium invitat. Incipiunt: *Maximo desiderio jam dudum tenebamur* &c. et habentur apud *Bzov.* ad an. 1413. et *Herm. v. d. Hardt T. cit.* p. 6. IV. *Johannis* XXIII. Literae indicentes Concilium. Incipiunt: *Ad pacem et exaltacionem ecclesie, tranquillitatem christiani populi* &c. Referuntur a *Bzovio* ad an. *cit.* et *Herm. v. d. Hardt T. cit.* p. 9.

XXIX. *fol.* 219. p. 2. Epistola *Ladislai* Regis *Neapolit.* ad *Johannem* XXIII. Incipit: *Sanctissimo — Deuotus vester filius ladislaus dei gratia Vngariae. Iherusalem. Cecilie.* (Siciliae) *dalmatie Croatie Rome* (Ramae) *Seruie Galicie ladomerie Comanie bulgarieque rex, prouincie forcalquerij et pedemontis Comes* &c. *Cum in cunctis actionibus mundanorum actuum* &c. Excusat hactenus gesta, nunc demum se convictum esse de legitimo *Johannis* Pontificatu, eique se praestare obedientiam in manibus *Reynaldi* (Brancatii) *sancti viti in macello Diaconi Card.* Datae et subscriptae manu propria: *In castro nostro nouo neapoli Anno domini M° CCCC° XII. die XVI. mensſ. Octobr. Indict. VI. Regnorum Anno XXVI°.* Emtam hanc Submissionem a *Johanne* sunt, qui adserant, nec diutinam fuisse, eventus docuit, *cum*, ut ait *Oldoinus* in *Addit. ad Ciaconium* T. II. *col.* 791. *nihil Ladislaus ex fide ageret, qui nullam habebat.* Ceterum *Epistolam* nostram nullibi impressam reperi.

XXX. *fol.* 223. *Johannis de Ruckenberg*, ut e calce transcribo, *Praemonstratensis Principium in lecturam Iuris canonici.* Laudes Disciplinae, quam profiteri aggreditur, texit, hoc initio: *Thezaurus desiderabilis et oleum in habitaculo iusti. Prov.* XXXI. *Reuerendi p. mei — Dum venerabilium patrum doctorum ac sanorum* (seniorum?) *nostrorum precellentia facta sedula mente recolimus* &c. De Autore silent fontes mei.

XXXI. *fol.* 228. *Sermo domini Episcopi sarisberiensis anglici in Concilio Constan.* In illud: *Erunt signa in sole et luna. Luc.* XXI. Incipit. *In principio huius verbi pro felici statu* &c. et est *Roberti Alani*, ut notatum ad *Cod.* DCCCC. LXIX.

XXXII. *fol.* 236. p. 2. *Sequitur sermo Magistri Mauricij de*

praga